



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1431. usque ad annum 1441

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118316**

§. 164. Hoc decretum a Jacobitarum Legato acceptatum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66426](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66426)

testamenti sacra sacrificia, Sacramenta, & Sæcul. XV.  
 ceremoniæ præsignarunt. Agit de neces- A. C. 1441.  
 sitate Baptismi, & de salute æterna, decla-  
 rans, neminem posse salvari, nisi in Ca-  
 tholicæ Ecclesiæ gremio & unitate perman-  
 serit. Amplectitur Concilia Generalia,  
 Nicænum, Constantinopolitanum, Ephe-  
 sinum, & Chalcedonense, necnon Con-  
 stantinopolitanum secundum & tertium,  
 omnesque alias auctoritate Romani Pontifi-  
 cis legitime congregatas, celebratas, & con-  
 firmatas Synodos. Ad calcem hujus De-  
 creti subjungitur: Amplectitur præsertim  
 hanc sanctam Florentinam, in qua inter alia  
 Græcorum & Armenorum sanctissima unio  
 consummata est.

## §. CLXIV.

*Hoc decretum a Jacobitarum Legato  
 acceptatum.*

**O**mnibus hisce articulis ita expositis, *Labbe Conc*  
 Andreas nomine sui Patriarchæ, & *to. 13. p. 1212*  
 totius Jacobitarum cœtus, hoc saluberrimum  
 Synodale decretum cum insertis defini-  
 tionibus, decretis, præceptis, & statutis o-  
 mnemque doctrinam in ipso descriptam, nec-  
 non quicquid tenet & docet sancta Sedes A-  
 postolica & Romana Ecclesia, cum omni de-  
 votione & reverentia suscepit & accepta-  
 vit. Quascunque vero Personas, & quic-  
 quid ipsa Romana Ecclesia reprobat, & da-  
 mnat,



Sæcul. XV.  
A.C. 1441.

*mmat, pro reprobatis & damnatis habuit.*  
Andreas lecto publice hoc decreto, quod primum latino, mox Arabico sermone conceptum erat, illud propria sua manu munivit, ejusque acceptationem firmavit, professus, *omnia in ipso decreto contenta, divinæ, ac Catholicæ veritati consona existere.* Insuper tam suo quam Patriarchæ, omniumque Jacobitarum nomine pollicebatur, *omnes tanquam veros obedientiæ filios Papæ ac Sedis Apostolicæ decretis & jussionibus fideliter & semper obtemperaturos.*

## §. CLXV.

*Epistola Eugenii Papæ ad Imperatorem Constantinum Palæologum.*

Labbe Conc.  
to, 13. p. 1213

Sub idem tempus Eugenius Papa vigesima prima Aprilis currentis anni scripsit ad Constantinum Palæologum Despotam, qui Joanni Palæologo in Imperio Græcorum successit: Hunc Principem de unione Græcorum certiore reddidit, precaturque, *ut, si favente Deo in Romæorum imperio succedere, & in Imperatorem creari contigerit, omnem operam dare velit, quo sancta occidentalis & orientalis Ecclesiæ unio concorditer celebrata in omnibus Græcis partibus sortiatur complementum, demum suo & Apostolicæ Sedis*